

Iis illi sedulò invigilare non detrectauit ; eamq; , su-  
stentatis idoneis Artificibus plurimū promovit.  
In quo etiam Heroico , & verè Atlantico proposito,  
usq; dum Sidera & Solem intueri licuit ( quorum  
caussā hominibus esse oculos attributos , quidam  
antiquitū Philosophantium non abs re protulerunt )  
constanter permanxit : Adeò , ut visibile hoc , & tem-  
poraneum Cæli Theatrum contemplari non omise-  
rit , antequām ab Horizonte temporis in Aeternita-  
tem transmigratione factā , Cælum illud æviternum ,  
& invisibile , Dei beneficio , pro hoc altero com-  
mutārit . Quapropter quis iure inficiabitur , decuisse  
omnino Literas Astronomicas à tanto Atlante , non  
saltēm Genere illustri ; sed & in hāc arte Principe ,  
profectas , principales partes in hoc volumine sibi  
vendicare ? Quibus rectè adiungi videntur , quæ  
illius iussu à Mathematico quoq; ipsius mitteban-  
tur : unā cum nostrā ad singulas responsione : Utut  
aliæ ab Eruditis , & præstantibus viris passim de hoc  
Cælesti negotio mihi perscriptæ literæ , & tempore  
& loco nonnunquam priores vidēri possint . Quod  
verò has ipsas , à tuo Illustrissimo patre mecum com-  
municatas de re Cælesti Literas , nunc tandem lucem  
publicam vidēre , & terras pervagari sino ; vt alijs  
acceptissimum esse scio ( utpote à multis hoc nomi-  
ne rogatus , qui harum Epistolarum editionem seriō  
flagitārunt ) lic tibi , & splendidissimæ Domui Haf-  
fiacæ minimè ingratum futurum confido . Idq; vel  
hinc mihi audentiis polliceor , ex quo in Oratione  
fune-